

A & Ω!
 ACTUM
 KALENDAREM SACR!
 de
 venerabili
 MYSTERIO
 CIRCUMCISIONIS
 CHRISTI,

quod
 PIA MATER ECCLESIA
*Ipsis Kalendis Januar. devotâ
 mente quotannis suspicit,*
 DIE XVII

post
 KALEND. JAN.
 ANNO cId Idc LXX.

in
*Acroaterio sup.
 exhibendum
 publicat*

M. CHR. FUNCCIUS,
 Gymn. Gorl. R.

GORLICI
 CHARACT. ZIPPERIANO, *Fr. A. H. S.*

Coll. diss. A
 169, 42

544 A 169/42



Cilicet elapsum abhinc est biennium, quum ACTU GENETHLIACO SACRO GEMINO, eoq; altero in Rhetoricâ, altero in Dramaticâ dicendi Palæstrâ exhibitô, extra omnem controversiam magnum in Orbe INCARNATIONIS VERBI Mysterium, rimandum partim, quantum quidem sacrarum Literarum autoritas permetteret, partim piè mirandum Auditoribus æq; ac Spectatoribus proponerem. Sed quô fremitu Satanæ, nescio quæ Genethlia GENETHLIIS SALVATORIS nostri unici frivole opponentis, eaq; famosissimô Libellô per ἐμψυχα sua organa in Pasquini statuâ intimantis, exceptus uterq; Actus fuerit, nemo in hac hexapolitani agri Urbe ignorat, nisi qui se ignorare simulet. Ita namq; semper Satanæ fudes qv. in oculis INCARNATIO τῆς λόγῃς fuit: Fuit omninô tam invisa ea Satanæ, ut conspurcare venerandum Mysteriû fidei omni ope ubiq; ferè gentium per omnia à nato Christo Secula sit conatus. Horreo, arrectâ stante comâ voceq; hærente faucibus, impium recensere ausum, quô calumniarum Architectus, ut maculam purissimis Christi natalibus aspergeret, matrem crimi-

criminari; patrem, qui curæ erat & tutelæ, diffama-
 re haut verebatur. Ecce enim Autor erat Judæis, ut
 Mariam, matrem Christi, vocarent **סטדא** *Stadā*, qv.
סטת רני i. e. *declinavit ista*, scil. ad scortationem,
quia scortata, scribit **R. SALOMON** in *Sanbedrin*,
 ubi & Maria dicitur vixisse in templo secundo
מטו שר *mater illius*, qui **N. JESUM** intelli-
 gunt Judæi Apellæ, cujus nomen nonnunquam sic
 reticere solent. Quanquam & ipsi tectè blasphemē-
 meq; *filium Stada* JEsu vocitent, i. e. filium Ma-
 riæ, quam ipsorum fraudem malitiamq; in *Chaldai-
 co-Talmudico-Rabb. Lexico*, ex occasione vocis **סטדא**
 digrediens, **BUXTORFIUS** detegit & prodit. Erat
 insuper Gentilibus Autor Satanus, ut per contem-
 ptum JEsu *Pantheris filium* dicerent. A Judæis
 autem hausisse hanc opinionem, credibilis fit è
 Talmude. Nam *cap. XII. Sabat.* filius Mariæ voca-
 tur **בן פנדרה** *Ben Pandera*, & ratio affertur, quia
 Pandera cum Mirjam concubuisse. Ubi non du-
 bitat **GVILIELM. SPENCERUS** *Cantabrig.* quin
 Pandera sit Josephus cognomento Panther, s. Pan-
 therus, quod nomen à parente Jacobo acceperat.
 Nondū odii in *verendū INCARNATIONIS Myste-
 riū* Satanici finis. Traduxit enim & ipse **VERBI IN-
 CARNATIONEM** in putidissimas fabūlas, eamq;

Buxtorf. in
 Lex. Chal-
 daicō Tal-
 mud. Rabb.
 Radice
סטד
 p. m. 1461.

Spenc. An-
 notat. in
 L. I. Orig.
 contra Cels.
 p. m. 26.

absurdissimis *μετεμψυχώσεως* commentis ita mi-
scuit, ut successu temporum tanquam novus quī-
dam partus se obstetricante produceretur, apud
Gentiles Indianos extra & intra Gangem tam absur-
ditate celebris, quàm fabulosâ narratione monstro-
sus. Sunt autem decem DEI incarnationes, quas
præter complura hujus farinae figmenta ex interpre-
tatione P. Heinrichi Roth in *Chinâ illustratâ* ATH.
KIRCHERUS enarrat. Universim enim illi di-
cunt, secundam personam ex Trinitate novies jam
incarnatam fuisse, & adhuc semel incarnatum iri.
Sunt autem Personæ Trinitatis ap. illos Brahma,
Bexno, Mahex, quas dicunt esse unum quid in natu-
ra, quam variis nominibus vocant. Non satis itaq;
callidissimo fuit Satanæ perversis hujusmodi dogma-
tibus, priscorum Gentilium propriis, mortalium
animos tanquã solitis sibi artibus dementare: Sed &
sacra profanis ad majorē divini nominis atq;
Evang. doctrinæ contemptum miscere ausus, adeo simpli-
ciores Paganorum animos satanico Brachmanum
infecit ministerio, ut fabulosam hanc de *decem in-*
arnationibus DEI doctrinam crederent, illam au-
tem veram *de unicâ INCARNATIONE VERBI*
negligerent. Sic jam patet, patet omninò, semper
fui esse similem Satanam, indeq; eandem superiori
bien-

Kirch. Chi-
næ illustr.
P. III, c. VI.
p. m. 157,
seqq.

bienniò circa J. C. GENETHLIA cecinisse cantile-
 nam, quam Judæis, quam Paganis, quam & ipsis
 Christianis jam olim cecinerat, & hodiernum in con-
 temptum Myfterii omnium maxumi, omnium
 optumi, canit, dum interim majorem in rei honorẽ
*ARTEM suam SCIENDI MAGNAM, s. COMBI-
 NATORIAM*, non dubitat *ὁ πάνυ KIRCHERUS*
 novâ methodò ad *Artic. de INCARNATIONE* ap-
 plicare, per Quæstionum Enneades *ζητούμενα* hæc
 novẽ, (1) *utrum incarnatio ab æterno fuerit possibilis?*
 (2) *utrum fuerit necessaria?* (3) *utrum natura huma-
 na assumpta in esse specifico, an in individuali persona-
 li?* (4) *quare DEUS incarnatus?* (5) *an in incarnatio-
 ne in considerationem veniat Quantum Prædicamen-
 tale?* (6) *an in Verbo incarnato fuerint Qualita-
 tes?* (7) *utrum incarnatio sub tempus cadat?* (8) *an
 incarnatum Verbum sit ubiq;?* (9) *quomodo humanam
 DEUS naturam assumpsit?* syllogisticè diducens.
 Quid Ego nunc autem, qui statim in limine justò
 zelò aliò abreptus? Redeo in propositæ rei gyrum,
 ne porrò extra oleas vagari videar, & pace vestrà,
 L. B. horni instituti rationem aperio. Verum enim-
 verò, posteaquam ante hoc biennium, frendente li-
 cet ac ringente calumniatore Satanâ, ACTUM de
 MYSTERIO INCARNATIONIS CHRISTI GE-
 NETH-

Kirch. T. II.
 Art. magn.
 sciendi L.
 VI. Sect.
 III. p. m.
 113. seqq.

NETHLIACUM, eundemq; *biformem*, exhibui, constanter ordo rerum svadet, ut **ACTUM** de **MYSTERIO CIRCUMCISIONIS CHRISTI KALENDAREM**, eundemq; *uniformem*, hoc anno exhibeam, nullus heic addubitans, quin dudum ringere ac frendere audacissimus calumniator Satanus defierit, quippe qvum egregie os ei, ut mentis semper recti sibi consciaē testimoniō, ita bonæ causæ triumphō obthuratum tenus hac esse, omnes nōrint Boni. De **CIRCUMCISIONE** igitur ejusq; **VENERABILI** in Christo puero **MYSTERIO** quoniam dicturi sunt nostri, pauca de eā præfabor, ut habeant ipsi, quod excerpant, inq; *Adversaria* sua, quæ parant hodie, conjiciant; deinde, ut & quivis in hac Urbe eruditi Lectores scire possint, quid Programmate hoc velim, omni ope efficere conabor. Est omninō **CIRCUMCISIO** Sacramentum omnium *antiquissimum*, utpote quod in ipsius magni Patris credentium familiâ jam cœperat. Cum Abrahamo nempe, quem עמוד של עולם *columnam mundi* nuncupat **MAIMONIDES**, & quia justis velut *columnis mundus innititur*, quippe quorum causâ mundus duret; & quia ipse veram religionem & notitiam **DEI** docuit, quam עמוד החכמה *columnam sapientie* idem alibi, è **DIONYS. VOSSII** observatione,

R. Mos.
 Maimon.
 L. de Idolatr. Th.
 V.
 Dionys.
 Voss. Not.
 ad Mai-

tione,

tione, *Maimonides* haut ineptè vocat; postquam
 אב המון גוים i. e. *Pater multarum gentium*, mutato ob
 id ipsum ABRAM in ABRAHAM, appellaretur,
 pepigerat DEUS מלח עולם *fœdus hoc salis*, s.
 æternum, ut *circumcideretur omne masculinum, ca-*
ro præputii, infans octo dierum. Egerant huc usq;
 sine CIRCUMCISIONE fidelium Ecclesiæ, sub
 Abrahamo verò & suæ, & aliarum gentium Patre,
 instituit DEUS id Sacramentum, quod, quia nobi-
 lissimum maximæq; considerationis, explicatiùs
 CHRISTIANUS SCHOTANUS interpretatur, in-
 stitutionem illius, impositionem, rei rationem & mo-
 dum ita tradens, ut & forma, quæ circumcisio præpu-
 tii in carne; & materia, quæ masculus ex ea gente in
 domo Abrahamitarum, ingenuus & servus, isq; sive
 verna, sive emptus; & circumstantia temporis, cum in
 administrando, octavus nempe ab ortu in recens
 nato dies, tum in observando, fœdus nempe æternum;
 & finis, qui erat hic, ut esset fœderis divini sigillum;
 & pœna in eos, qui negligenter, melius cognoscere-
 tur. Quicquid sit, audiamus heic Abrahamo præci-
 pientē DEUM! *Circumcidatur, inquit, omne mascu-*
linum, caro præputii vestri, infans octo dierum. Præci-
 pit nempe his verbis, juxta παράφρασιw Ralbag,
 Abrahamo & femini ejus, ut circumcidat omnem ma-
 tem

mori. I. de
 Idololatr.
 p. m. 11.

Gen. XVII.
 v. 4. 5.

Gen. XVII.
 v. 10. 11. 12.

Schotanus
 Biblioth.
 Hist. V. T.
 Tract. IV.
 p. m. 140.
 seqq.

*rem è semine suo octo dierum, & etiam natos domus suae,
 & acquisitos argento, i. e. servos, quos adquisierat, qui
 non è semine ejus.* Præcipit, in isto, ut circumcidantur
 filii octo dierum, quod & præceptum accepit Abrahamam,
 & circumcidit se, circumcidit suos, ne relinqueretur
 in domo ejus præputiatus, nisi esset minor octo die-
 bus. Quo verò factus die primus circumcisionis
 Actus in Abrahami familiâ, Ebræorum ap. *JOH.
 HENR. HOTTINGERUM* disquirunt Magistri,
 multaq; heic fabulosa comminiscuntur, in qui-
 bus visitatio, ab Angelis facta, quum Abrahamus
 doloribus circumcisionis cruciaretur. Communis
 interim Ebr. est sententia, factam primam in Abra-
 hamo circumcisionem fuisse die expiationis, ut ipse
 sanguine hoc foederis pristinas expiaret iniquitates.
 Innutritum namq; Abrahamum superstitionibus
 Chaldæorum ac Sabæorum fuisse, & Ebræi, & Ara-
 bes Christiani pleriq; tradunt, quos ordine citat *CL.
 HOTTINGERUS*, & Arabum quoq; Muhamme-
 danorum consensum in *Theatro Muhammedico* se-
 daturum pollicetur. Quamdiu autem impietatem
 istam sectatus fuerit Abraham, variantibus judiciis
 est expositum. Rabbini Chrysippéo acumine, si cre-
 dere fas est, tradunt, decem tentationibus, quas *R.
 ELIESER* justâ serie recenset, Abrahamum incla-
 ruisse,

Hotting.
 Smegma-
 tis Orient.
 L. I, qui est
 de usu Lin-
 gv. Orient.
 in Hist.
 Theol. c.
 VIII. p.
 m, 299,

Hotting.
 Thef. Phi-
 lol. L. I. c. I.
 Sect. VIII,
 p. m. 56. &
 Hist. Ori-
 ental. L. I,
 c. VIII, p.
 m. 163.
 R. Elies.
 Pirke capp.
 XXV. -
 XXXI.

ruisse, primâ potissimùm, quâ ipsi puerulo recens
 nato omnes primores Regni Babylon. infidias stru-
 xissent, qv. prævidissent vel sceptrâ, vel sacra ablatu-
 rum. Unde tertio annò ætatis notitiam creatoris
 eidem tribuunt, suæq; fabulæ statuminandæ locum
 hunc *Geneseos* afferunt: עקב *propterea, quòd auscul-*
tavit Abraham voci meæ. Vox עקב, inquit ap.
GVIL. HENR. VORSTIUM, continet 172, litera
ע 70, פ 100, כ 2. Vixit autem Abraham 175. annis: à tri-
bus annis, qui desunt in voce עקב, incepit nosse condito-
rem suum. Ita illi scil. annum ponunt tertium, idq;
 unum ferè agunt, ut Patriarcham suum ab idolola-
 triæ crimine liberent. Alii annum habent XIII. In
Schalsch. refertur plena veri DEI cognitio ad an-
 num LI. In *Fuchasin* numerantur ארבעים שנה
quadraginta anni. Sed verifimilior MAIMONI-
DÆ est sententia, quâ ipse vult, Abrahamum agno-
visse creatorem suum, בן ארבעים שמונה שנה
natus esset annos. Nam quis præstet, Abrahamum,
 qui demum annò ætatis 75. Charris exivisse legitur,
 nihil tunc patriæ contagionis concepisse? Nec ideo
 tamen quicquam honori Abrahami decedit. Quin
 potius summa Numinis clementia inde magnoperè
 elucescit, quòd è densis tenebris & de medio idolo-
 latrarum exciverit Abrahamum, ut ipsum illatum in

Gen, 26. 5.

Vorst. Ani-
 madvers. in
 Pirké Elief.
 c. XXVI.
 p. m. 191.

Gen. XII.
 v. 4.

B

Ca-

Heidegg.
Exercitat.
select. de
sacr. Patri-
arch. Hist.
II. S. IV,
p. m. 49.

Gen. XVII.
v. 14.

Abarb.
Comment.
ad Num.
XV. v. 22.

Cananæam non tantum *faceret rerum suarum do-
minum, αὐτοκράτορα, non obnoxium ullius potentia,*
id quod ex ipsius famulatio, bello, foederibus, liberis
migrationibus, honore & cultu, qui erga Cananæos
velut erga pares erat comis, *HEIDEGGERUS* rectè
colligit; verum etiam *cum eodem pactum iniret, pa-
ctiq; hujus signum institueret CIRCUMCISIONEM.*
Habetis, L. B. venerandam *Sacramenti hujus antiqui-
tatem,* utpote quod non Evandrum quempiam,
aut Anchisen grandævum autorem agnoscit, aut
cum Nannaco & Aboriginibus tantum, nec ultra,
loqui novit; sed annales suos ab Abrahami fami-
liâ ipsoq; Abrahamo, imò & eò, qui eundem ex Ur
Chaldææ evocarat, retrò legit: Habetote nunc sum-
mam *ejusdem Sacramenti necessitatem.* Adstrin-
gebat fanè ad CIRCUMCISIONEM paulò arctius
Abrahamitas divina, præcepto addita, comminatio,
quæ ipsa his legitur verbis: *Masculus, qui non cir-
cumcidetur, quantum ad carnem præputii, exscindetur
anima illa de populo suo.* In quatuor fermè abeunt sen-
tentias, Phrasin hanc, quæ est de *excisione animæ è po-
pulo suo,* exponentes Ebræi. *Prima* est, *mortem immat-
uram* designari, quam *DEUS* citra humani magistra-
tus officium irroget. Eamq; præter alios complures
DON IS. ABARBENEL annotat, quum de exter-
mi-

minio isto fusissimè disputat, quòd sit קצור ימי החושי ומיתתו קודם קצו בעולם הזה ודוא עצמו ענין המיתה בודי
 decurtatio dierum ipsius peccatoris, & mors ante terminum naturalem in hoc mundo, qua ipsissima mors est, operà Cœli illata. Censetur terminus iste annus 60. nonnullis 50. vel 52. aliis עתו שהיה ראוי לו כפי טבעו
 tempus ejus, quod ipsi quadrabat secundum propriam naturam. Atq; hæc prior quum ulterius divisionem in varia membra admittat sententia, mitto eandem, & ad alteram pergo, eorum nempe, qui existimant omne exterminium in eo consistere, ut quis ἀτελευτῆσθαι, h. e. sine liberis, moriatur. Puta, ut vel nunquam habuerit, vel quos procreaverat, moriantur ante partum. Nam, sicut ait ABENESRA, dum sententiam hanc dubius proponit: מי שיש לו בנים כאלו הוא חי ושמו לא יכרר: qui liberos relinquit, est, acsi viveret, neq; nomen ejus excinditur. Tertia Ebr. sequitur sententia, ad mortem æternam assurgens, quam pluribus explicat MAIMONIDES. Est autem summa hæc: Exterminium esse שיתאבד הנפש ולא תהיה חיה וקיימת: quod peribit anima, neq; amplius vivet, aut subsistet. Quarta deniq; ABARBENELIS est sententia, quam cum altera illa de morte immatura conjungit, ad Christianos propiùs accedens, quàm Maimonides: Siquidem,

Abenefra
 Comment.
 ad Gen. 17.
 14.

Maimon.
 Comment.
 in cap. ult.
 Sanhedr. &
 L. Maddah.

improborum animas non tantum superstites manere, asserit, sed pœnas etiam post mortem luere in gebenna.

Verba ejus sunt hæc: הנפש תכרת מאותו צרור החיים העליון ולת קבר זיו השכינה שהוא העונג והשכר הנפש; אבל אין זה לנפש העדר גמור והפסד מוחלט כי הוי עצם רוחני קיים בעצמו בלתי נפסד בטבעו. אך הכרת הוי עונש וצער גדול לנפש תקבל בו הפחור והיתר:

Anima exscindetur ab isto fasciculo vite supremo, neq; splendorem divinitatis obtinebit, i. e. voluptatem & mercedem anima. Sed hic non est anima defectus consummatus & interitus absolutus. Ipsa enim est substantia spiritualis, in se subsistens, minimè naturâ suâ corruptibilis. Verùm exterminium est pœna & dolor magnus anima, quæ in eo recipit magis & minus. Atq; sic quidem variant Ebræi in Phrasi Scripturæ (exscindetur anima illius è populo suo) explicandâ, eorundemq; nonnulli triplicem heic excisionis pœnam, aliam scil. quâ corpus tantum; aliam, quâ sola anima; aliam, quâ tam anima, quàm corpus exscinditur, ap. JOH. SELDENUM faciunt. Variant & Christiani interpretes, ut plurimum tamen ejectionem è cœtu Ecclesiæ ac fidelium eâdem Phrasi designari, autumantes. In hac tantâ igitur varietate eorum sententiam minimè absurdam sentit C. L' EMPEREUR, qui mortem prematu-

ram

Selden, de jure Natur & Gent. juxta Discipl. Ebr. L. VII. c. 9. p. m. 872. 873.

ram indicari arbitrantur, quandoquidem cum *excindendi* vox isti, non verò *sterilitati*, optimè quadrat; tum infantia eorum, qui in Ecclesia Judaica nascebantur, majores illas pœnas convenire & competere, clementia DEI prohibere videtur. Dum autem ille sic sentit, tandemq; in sententiâ *SIXTINI AMAMA* aliorumq; acquiescens, concludit, *DEI opus, non hominum fuisse excidium s. exterminium*, cujus comminatio quidem & ipsa legem *necessitatis* imponebat *CIRCUMCISIONI*, non definitio tantum id per pœnam *DEO reservatam, ratione subjectorum ita variantem, ut modò aeterna, modò temporalis esset*; sed & abhinc ad Sacramenti nostri transeo *dignitatem*, quam etiam si sufficientem ab autore habeat, aliunde tamen eam repetunt Judæi. Dicunt enim ideò magnam esse circumcisionis dignitatem, quòd eâ obfignetur & perficiatur nomen DEI יְיָ in carne Israëlita circumcisi: In naribus repræsentari figuram literæ ם, in brachio literæ ן, in circumcissione similitudinem literæ ן, quæ quia in gentibus non-circumcisis absit, è duabus literis remanentibus ן & ן nomen יְיָ fieri, ajunt, indeq; arguunt Judæos DEI, gentes Diaboli esse filios. Unde desumpta hæc sint & alia, quæ de præstantia circumcisionis tradunt, *JOH. BUXTORFIUS* aperit

Constant.
 L' Empe-
 reur Anno-
 tat. in Rem-
 publ. Ebr.
 Bertr. p.
 m. 357.

Amama
 Anti-Barb.
 Biblici L.
 III. ad Loc.
 Gen. XVII.
 v. 14. p.
 m. 611.

Buxtorf.
 Synagogæ

Judaic. IV.
p. m. 87.
88, 89.

Menoch. de
Republ.
Ebr. L. III.
c. XVII. p.
m. 326.
seqq.

P. Cun. I.
III. de Re-
publ. Ebr.
c. V. p. m.
349-361.

rit, & dehinc de *solemni circumcissionis convivio, omnis generis lautitiis, veluti anseribus, altilibus, pullis, piscibus, carnibus & generosis vinis conquisitis instruendo, agit, tempus item, modum, instrumentum circumcissionis moderna fufius exponens, non secus ac omnium fufiffimè nobis prisca circumcissionis essentialia æq; ac accidentalia exhibere JOH. STEPH. MENOCHIUS non dubitat. Quærit namq; is ipse, & ad quæfita hæc, (1) *quandonam fuerit instituta circumcissio?* (2) *cur circumcissio facta in carne præputii?* (3) *an circumcidi debuerint pueri tantùm octavo à natiuitate die?* (4) *an præcepto circumcissionis Idumæi quoq; Esau & Ismael, tenti?* (5) *an Abrahamus seruos circumcidere obligatus, hiq; an obligati circumcissionem pati?* (6) *quo loco facta circumcissio?* (7) *quis circumcissionis minister?* (8) *an circumcissio cultris lapideis facienda?* (9) *an differre aliquando circumcissionem ultra octauum diem licuerit?* (10) *an circumcissio instituta in peccati originalis remedium, & consequenter, an gratiam contulerit justificantem?* (11) *quâ pœna puniti, qui circumcissionem suscipere neglexissent?* (12) *quale crimen fuerit, circumcissionem semel susceptam conari abolere?* expeditè respondet. Respondet & P. CUNÆUS quæfitus, partim *quæ gentes profane olim fuerint circumcissæ?* idq; de *Ægyptiis, Æthiopibus & Colcbis* conce-*

conce-

concedit, sed non *primis*, ut *Herodotus* tradit, verum
Judeorum amulis; partim *cur circumcisio die octavo*
celebrata? idq; unum loco causæ ponit, *quia nec an-*
te peragi sacer ille ritus potuerit, & ut diutius differre-
tur, haut fuerit necesse. Nolo proinde, missa, quæ
restat, *CIRCUMCISIONIS UTILITATE*, plura
confectari in hanc rem, ne tam scripsisse, quam
omnia aliunde transcripsisse videar: Quin potius
remissos heic talium & aliorum, quæ lubens intacta
reliqui, cupidos Lectores ad citatos Autores, verè
quondam in decus hujus ævinatos, volo. Dum
verò filum heic telæ abrumpo, ad id jam nunc, cu-
jus gratiâ Discursum hunc scripsi, transeo. Transeo
nempe à *CIRCUMCISIONE*, quæ *generatim* sub
V. T. puerorum erat *quorumvis*, ad *CIRCUMCI-*
SIONEM, quæ *speciatim* sub auspiciis *N. T. pueri*
Deodati Christi. Etenim, quum ille nostri causâ cir-
cumcidi voluerit, debuerit, ut & ipse suâ *circumcisio-*
ne publicè ac solemniter sese implendæ coram æter-
no Patre legi obligaret; ut veritatem humanæ suæ
naturæ comprobaret; ut se Messiam verumq; se-
men Abrahæ, in quo ipso quidem *circumcisio* coepe-
rat, demonstraret; utq; suo tandem exemplò *cir-*
cumcisionem, tanquam maximè isto tempore utilem
institutionem *DEI*, contra omnem mundanam sa-
pien-

pietiam, quæ hoc Sacramentum ceu ritum ratio-
ni absolum ac inutilem ridebat, stabiliens, mun-
do commendaret; Christiano homine non indi-
gnum opus fore sum arbitratus, si, honori Jesuli
mei velificaturus, post *Kalendas novi anni auspices*,
quas ipsas, quum circumcideretur, *sanguinis sui pri-
mitiis* initiavit ille, nobisq; felices, faustas ac fortu-
natas *nominis sui* intimavit *deliciis*, ACTU KA-
LENDARI SACRO ea repeterem, quæ pulpita
non ita pridem sonabant Ecclesiastica. *Venerabile*
CIRCUMCIS. CHRISTI MYSTERIUM puto,
quod ut ipsum ipsis *Kalendis Jan.* pia mater Ecclesia
devotâ mente suspexit, ita *cras ξὺν τῷ εἰπέειν horis*
pomerid. Schola nostra reverenter rimabitur, pari-
terq; piè mirabitur, ut & ipsa tempori eommode
inservire videatur, quippe quæ semper memor illi-
us, quod monet *PHOENIXIDES*:

Καὐρῶ λατρεύειν, μήτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισιν.

Fiet hinc itaq; fiet omninò rectè, ut cras *duo* è
Nostratibus audiantur, ἀπὸ τῆς σόματ & de *venera-
bili Circumcisionis Christi Mystero* disserturi, *Decla-
matores*, quibus quidem unus faciet *FAVENTIAM*,
ERDMANNUS Milchner / Sorâ-Luf.

*PROL. quibusvis inclutæ hujus Urbis Statibus, ut ha-
beant,*

Coll. Diss. A 163, nise 42